DE HYDROCEFALO ACUTO INFANTUM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Valentino Bonazza

DE HYDROCEPHALO ACUTO INFANTUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad medicinae Lauream adipiscendam

IN CELEBERRIMA AC ANTIQUISSIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

Valentinus Bonazza

E PORTU ROMATINO

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

INTRODUCTIO.

Hydrocephalus acutus non recens est morbus, sed nostris demum temporibus majori diligentia et cura indagatus. Jam aetate antiquissima bujus morbi vestigia, quamvis levia et imperfecta, inveniuntur. Etenim negari non potest, Hippocratem non solum morbum praesagisse, sed etiam ejus sedem cognovisse. Reliqui scriptores, qui eum secuti sunt, tantum de hydrocephalo externo et chronico loquuntur. Aëtius, in primis autem Vesalius et Schenkius a Graffenberg hunc morbi processum diligentiori et accuratiori examine dignum habuere et Goelis et Goetz nostris temporibus.

Morbus a plurimis scriptoribus hydrocephalus acutus nominatus; alii tamen eum

febrem hydrocephalicam, alii hydropem ventriculorum, alii hydrocephalum phrenicum nuncupant. Cullen ei nomen dedit apoplexiae hydrocephalicae, Goelis hydropis acuti cerebri et apoplexiae serosae.

SYMPTOMATOLOGIA.

Quum in hydrocephalo acuto sanando multum intersit, ut morbus celeriter et recte cognoscatur, quam maxime necessarium est, ut primitivae affectionis symptomata, quae saepissime levia sunt et oculos facile fugiunt, maxima cura et diligentia intueamur et rite aestimemus.

Ceterum dubitari non potest, hunc morbum in adultis non semper eadem ostendere symptomata, quam in infantibus; quod discrimen e majori corporis, praecipue cerebri, in hac vitae periodo maxime se evolventis, receptivitate et irritabilitate facile explicatur. Mihi tantum de morbi symptomatibus in infantibus scribendi consilium est, et quidem tria stadia distinxi, ut multa veraque symptomata eo facilius perlustrari possint.

I. Stadium primum s. inflammatorium.

Quoad hydrocephali acuti diagnosim aegroti habitus primo est respiciendus, usm saepissime

infantes cachexia quadam v. g. scrofulosi, rhachitide, atrophia adfecti, faciem pallidam et laxam habent; caput magis rotundum, globosum et majori, quam statu normali, circuitu; supercilia, praecipue autem cilia, plus solito evoluta sunt, quod apud omnes hydrocephalo acuto adfectos, semper observavi. Tubera frontalia maxime prominent, qua de re oculi in orbitas relabantur, quo fit, ut infantes morosam doctamque speciem prae se ferant et meditabundam

Attamen non solum hi, sed etiam sanissimi hydrocephalo affici possunt. Magnam quoque hoc auspicionem movet, si praecox parvuli exhibent ingenium, sed maximi momenti est an iisdem parentibus jam plures infantes hydrocephalo acuto erepti sint.

Primo infantes hilaritatem amittunt, omnia quae, eis antea magnam praebuerunt voluptatem, respuunt, morosi, inquieti, nulla re contenti modo paulisper lacrymantur, modo secum, modo cum aliis murmurant, facilius afficiuntur et irritantur, omnia imo parentum blandimenta iis molesta sunt. Somnus inquietus eos non roborat, in lectulo saepius mutant situm, nusquam quietem obtinent, saepe ex eo repente et cum clamore clariore et anxio expergiscuntur, facies anxia, nunc pallida nunc rubicunda morbum indicat Musculi totius corporis soluti, laxi et functionibus praestandis impares Infantes brevi vehementer macescunt, ita ut cutis laxetur et flava, squalida fiat. Carotides modo vehementer, modo vix manifeste pul-

sant, febris plerumque exigua, vespere exacerbationes facit, modo corporis temperatura est aucta, modo minuta, modo vehementissime siti vexantur, modo potus fastidiunt. Miseri sincipitis doloribus acutis cruciantur, usque ad oculos extensis, et minimo corporis motu vehementissime augescentibus. Et adultioris quidem aetatis infantes de vertiginibus et anxietate, si in lectulo eos erigere licet, de doloribus rheumaticis cervicis et extremitatum queruntur, parvuli vero caput ad terga rejiciunt, manibus fodiunt pulvillum, vacillant, gressum habent incertum, manus ad sinciput protendunt, flentes repente obmutescunt. Calor capitis, in primis sincipitis plerumque est auctus, frons crebro sudore tecta.

Oculi luciferi, facile irritabiles ideoque semper clausi. Pupilla nunc quidem non est mutata, tamen statim spasmo contrahitur, si lux mitior eam adgreditur; sensibilitas auditus magnopere aucta est. Pulsus frequentes regulares, nunc duriusculi nunc parvi. Respiratio morbo ineunte non multum turbata, exspiratio plerumque lenis et imperfecta, multisque gemitibus mixta. Ægroti propensi ad vomitum, demum per viginti quatuor horas sexies vomunt aut septies, et vomitus, initio mucosus, sub finem plerumque biliosus, qui in primis, dum in lectulo se erigunt, augetur, lingua pura, plerumque humida, spiritus odorem peculiarem edit. Alvus obstructa purgantibus et clysmatibus difficillime solvi potest, semper tamen collabitur frequentissime faeces hoc in stadio co-

lorem habent subviridem et subfuscum, maximeque foctent. Solutio vero alvi rarissima. Parvulorum urina, quae maxima colligenda est diligentia, parca, turbida et nubila cum gravi sedimento lateritio.

Quod multi hic muscalorum frontalium et orbicularium spasmum observaverunt, hoc saepissime praecipue in apoplexia hydrocephalica locum habere animadverti. Per eum cervicis musculi sunt affecti, nam extremo hoc stadio infantes caput fere semper retroflectebant. Dentium stridor et manducatio signa morbi pathognomicis adnumerari possunt. Si hoc stadium in eo est ut in secundum transeat, pulsus plerumque irregularis tardusque fit. Nunc exanthema sese ostendit. Tunc in locum symptomatum inflammatoriorum nervosa succedunt. Ad constantissima hujus stadii signa pertinent habitus et vultus peculiaris, morositas, vomitus, capitis dolores, calor circa frontem auctus, alvi obstructio, quamvis illa sit maxime collapsa et oculorum rigor. Remissiones morbi non solum hac in periodo sed etiam in decursu hydrocephali non raro observatae sunt, quae tamen medicum, bonam prognosin ex eis colligentem, facillime fallant, nam brevi symptomata deteriora fiunt, aegrotumque celeriter ad mortem rapiunt.

II. Stadium exsudationis.

Sensibilitas aucta paulatim in soporem transit. Infantes brevi inquieti, morosi lecto quasi af-

fixi, inter somnum vigiliasque oculis semiclausis jacent, ex quo statu initio quidem verbis blandis excitari possunt, mox vero, perpaucis verbis abrupte aegreque prolatis, in soporem recidunt. Ope aliena erecti maxima anxietate cruciantur, et inquieti locum quaerunt, ubi caput fulcire possunt, quo in statu maxima comedunt voracitate. Os naresque manibus fricant, et, excepto auditu, omnes sensus paulatim bebetantur, manus tremunt, pupilla luce paulisper afficitur et contrahitur plerumque spasmo modo dilatatur; modo coarctatur. Vomitus paulatim subsistit et rarissime tantum excitatur, si aegrotus erecto corpore sedere cogitur. Suspirium gemitusque, spasmus musculorum faciei stridorque dentium tunc vehementiores evadunt, visus errans; nam si infantes in eo sunt, ut rem aliam capiant, saepe manus altius et longius porrigunt. Pulsus tardissimus, irregularis, intermittens, respiratio parum alta, difficilior et anhelosa est. Quaedam corporis regiones, praecipue frons, sudoribus profusis teguntur, urina parca sed colorem clariorem flavumque habet. Alvi solutio obstat remediis, faeces atrofuscae et purulentae sunt, foetidissimi odoris et saepissime lumbricos aut oxyurides continent. Sub finem hujus stadii aegroti rerum externarum non conscii ex profundo sopore clarissima tantum voce excitari possunt. Auditus debilitatus, pupilla dilatata, luce clarissima affici desinit. Facies modo rubescit modo livescit, quia natura conamina facit accumulationem ex crebri ventriculis removendi, labia livescunt

et extremitates frigent. Maximi momenti sunt convulsiones, quibus plerumque brachium et pes ejusdem lateris antrorsum et retrorsum moventur, dum alterius lateris artus per vices spasmo contrahuntur et paralytici sunt. Aut si alterutrius lateris paralysis non adest, omnes extremitates per intervalla spasmo agitantur. Ob oesophagi spasmum aegroti saepe deglutire non possunt, aut si potus eis ingeritur, sicuti in paralysibus strepitus auditur.

III. Stadium paralyticum.

In hoc lymphae plasticae accumulatio ad finem est perducta, qua partes nobilissimae opprimuntur, quare omnia symptomata nervosa ad summum evecta sunt fastigium. Stupor vehementissimus, rare deliriis conjunctus, morti praecedit et sub diris convulsionibus aegroti animam exspirant. Omnes sensus, imo auditus sunt extincti, et vehementissima incitamenta nihil efficiunt. Pulsus tardus irregularis frequentissimus et parvus vix sentiri potest, et sub manuum tactu maxima labitur cum celeritate.

Signa mortis imminentis certa sunt, totius corporis aut plerumque lateris unius paralysis, dum alterum vehementissimis convulsionibus afficitur, oculorum strabismus, pallor et rubor faciei per vices se excipientes, pupilla dilatata, oculorum conjunctiva saepe sanguine rubefacta, corneae muco tectae rigor, spasmus musculorum fa-

ciei, halitus foetidus, spiritus brevis, laboriosus, per aliquod tempus haesitans, extremitates frigidae, frons tepida sudore tenaci tecta. Faeces et urina inscio aegroto mittuntur. Postremo paralysis faucium, oedema pedum, spiritus laboriosus, singultus, convulsiones vitae miserae finem imponunt.

Hydrocephali acutissimi, sive apoplexiae hydrocephalicae symptomata fere eadem sunt, eo tamen discrimine, ut quam celerrime et vehementissime decurrant, ita ut stadia illa deprehendi non possint, et exsudatio citissime sequatur.

DIAGNOSIS.

In difficillima hydrocephali acuti diagnosi, quippe qui nonnunquam aliorum morborum symptomata subdole imitetur, non mirum est vel nostris temporibus, quibus hujus morbi diagnosis tantopere exculta est, quaedam exempla inveniri, quae doceant quantopere hic morbus medicos fefellerit, et quoties in aegrotorum damnum methodus curandi falsa sit adhibita. Igitur medico qui aegrotorum saluti consulere velit, semper clara morbi imago ante oculos versari debet, praesertim in dentitionis periodo febrique verminosa; quandoque aegrotis hunc ad morbum dispositio, ex hereditate in primis inest, ubi quodcunque signum, etsi videtur exiguum, v. g. morositas, somnus inquietus, facies jam antea descripta, fastidium cibi, vomitus, capitis dolores, gravitas, quae inde cognosci potest, quod infantes semper corpori alicui caput

applicant, medicum diffidentem reddere atque eam monere debet, ne hunc statum vilipendat. Medicus, qui hydrocephalum saepius attentiori animo observavit, exigua quoque ejus symptomata rite aestimabit, atque morbi differentias clandestinoque accessu non decipietur. Sed praecipue diagnosis multis impeditur difficultatibus, quod infantes, qui plerumque hydrocephalo acuto afficiuntur, saepissime sensus suos doloresque perspicue describere non possunt. Hinc medicus ex iis, qui aegrotum circumdant, morbi symptomata percontari et praecipue nutrices clam examinare debet, an e lapsu aut contusione, aut ex alia injuria morbus originem traxerit, quae causae fere semper prae metu et parentibus et medicis occultantur.

Diagnosis hydrocephali acuti febrisque sthenicae non magna difficultate premitur, nam febricitanti habitus ille peculiaris deest, oculi lucem non tam sollicite fugiunt, alvus non collapsa et non tam vehementer obstructa, faeces non alienatae sunt.

Dolores capitis in hydrocephalo sunt vehementiores, et in eo congestio ad caput saepe e carotidum pulsatione aucta intelligi potest. Vomitus singularis, frontis calor, gressus incertus, somnus inquietus, ex quo sine ulla causa repente cum clamore acuto gravique excutiuntur, manuum motus singulares facile hos morbos distinguunt.

Major quidem similitudo inter infantum hydrocephalum acutum febremque remittentem acutam deprehenditur, sed hic facies flavescens, re-

missiones verae, perspicuae, plerumque regularibus sudoribus junctae, medico verum indicare possunt. In hac febri gastrica prae ceteris symptomata sunt: lingua flava, crustis obducta, sapor amarus acidus, plerumque vomitus initio morbi deest. Urina flava cum sedimento crasso, flavo, quantitate sufficienti redditur. Maximi momenti est venter plerumque inflatus, faeces, quae facilius et plerumque sine remediis evacuantur, fuscae, biliosae, muco indutae, saepissime foetidi odoris. Capitis dolores mitiores sine magna oculorum affectione. Causae efficientes multum lucis praebent ad eruendam diagnosin illorum morborum, sicuti nec non hydrocephali singularis Convulsiones et symptomata nervosa ibi fere semper desiderantur. Helminthiasis et dentitio difficilis cum febri conjunctae nostris temporibus a medicis frequentissime observantur. Quoniam vero nonnunquam diagnosis horum morborum difficillima est, prudentis est semper hostem periculosiorem aggredi, quia talis error damnum afferre non potest.

Hi morbi plerumque decursu proprio habituque singulari distinguuntur, nam febris verminosa et dentitio certa stadia haud observant. Infantes vermibus vexati semper pallidi, laxi, subinflati, cachectici, nares fricant, pupilla eorum dilatatur, alvus soluta est; anum ob vehementem pruritum solent fricare. Dolores capitis et alvi ibi periodici sunt, minus vehementes quam in hydrocephalo. Ægroti clariori ob-

dem excutiuntur voce e somno, sed mox obdormiscunt.

Alvus soluta est et plerumque aegroti magnam faecum copiam vermibus intestinalibus mixtam ejiciunt; aut excretio purgantibus lenioribus facile restitui potest. Ægroti tantum vomunt, si vermes in ventriculum adscendunt, et fere semper omnia maxima cum aviditate devorant. Urina turbida, sero non dissimilis cum gravi sedimento copiosa satis emittitur. Pulsus fere semper febrilis, rhythmo plerumque perturbato, sed nunquam lentus; sicuti in stadio exsudationis hydrocephali acuti, sensibilitas oculorum et aurium non alienata, gressus vacillans semper abest. Frons manui tangenti rarissime majorem calorem offert, sed fere semper abdomen. Convulsiones non ad morbum pertinent, e si fortasse adsunt, celeriter sine omni damno praetereunt paralysesque nunquam relinquunt.

Febris, quae in dentitione oriri potest et saepe per congestiones ad caput hydrocephalo acuto ansam praebet, signis periodi dentitionis constitutis v. g. gingiva inflammata calida rubicunda et tumida, salivatione, somno inquieto, in quo infantes saepissime manus in os inferunt ad sedem doloris indicandum, tumore glandularum salivalium cognosci potest. Tamen omnia haec signa cautissime aestimanda sunt, quia hac in periodo, congestione aucta, hydrocephalus acutissimus saepe inopinato accedere potest.

In infantibus scrofulosis facile inflammatin

membranae pituitariae, meatus auditorii interni exoritur, quae, quia plerumque leniter irrepit, non internoscitur, atque in suppurationem transit. Pus tali modo genitum modo per meatum auditorium externum ejicitur, modo in cranii cavum effunditur, et tunc symptomata hydrocephali signis simillima procreat. Tamen ibi omnium symptomatum decursus medico dux esse potest, non antea dolores circa unam alteramve aurem adsunt, qui partim vehementes, partim, quod saepius fieri solet, mitiores sunt, febris plerumque exigua et omnia otitidis signa apparent, quae post aliquot tempus evanescunt. Tunc omnia suppurationis symptomata adsunt, horrores periodici, dolorum remissio, frigoris sensus gravitatisque in aure, auditus laesus, pulsus parvus, frequens, oedema circa aurem affectam, quod difficillime cognosci potest. Si suppuratio per aliquod tempus persistit, febris exoritur hectica. Subito sine ulla causa aegroti doloribus circa aurem adfectam vehementissimis pungentibus vexantur, convulsiones, delirii acerrima accedunt, processus mastoideus intumescit, doloresque capitis motu, praecipue in auris regione, augentur. Omnia haec symptomata animum medici ad encephalitidem advertunt sympathicam, quae ab hydrocephalo acuto eo differt, quod haec, in qua tantum cerebri pars affecta est, plerumque lymphae plasticae exsudatione non decernitur, quia celerrime gangraena oriri solet. Morbi decursus et fere omnium signorum hydrocephali defectus medico diagnosim dilucidant.

Diagnosis inter hydrocephalum acutum et chronicum difficultate caret, nam origo, initium, sicuti morbi decursus, capitis forma nunc serius nunc maturius evoluta, corporisque incrementum impeditum morbum facile designant.

Diagnosis inter febrem nervosam et hydrocephalum acutum difficilior quidem est, sed infantes rarissime illo morbo afficiuntur. Attamen typhus semper decursum anomalum habet, et praecipue ardore mordaci, manui tangenti molesto, deliriis vehementioribus, fere semper sine convulsionibus, lingua sicca, sicuti dentibus et gingivis crusta tenaci subnigra aut lutea indutis, quae multis conaminibus frustra factis denique ex ore protenditur, distingui potest. Ægroti, typho laborantes de doloribus capitis vagis queruntur, urinae secretio non impedita est diversamque habet indolem; abdomen fere semper inflatum, plerumque non obstructum, aut si res ita se habet, facile solvitur et faeces maxime ab illis hydrocephali differunt. Respiratio difficilis, abdominalis, subinde cum gemitu conjuncta oculi non tam sollicite quam in hydrocephalo lucem fugiunt.

Pulsus plerumque frequens, sed regularis et si cujusdam organi nobilioris inflammatio deest, per totum morbi decursum constans. Syncope, vomitus et nausea commutato situ non augentur, et in typho rarius adsunt. In eo manus tremunt, atque aegroti pedibus distentis ad lectulum extremum labuntur, pudendaque nudant. Ob deliria non sunt tranquilli, manus vero rarissime ver-

sus caput ad aures aut os admovent, haemorrhagiae ex ore, naribus, gingivis atque ano, sugillationes sub cute, petechiae, furunculi gangraenosi, atque ulcera, otitis et gangraena epidermidis, quibus plerumque hic morbus velut crisi decernitur, saepissime in typho observantur.

Ex arcto organorum abdominis et cerebri connexu facile explicari potest, cur quaedam eorum affectiones, praecipue hepatis symptomata hydrocephalo acuto similia proferant. Ad diagnosim recte constituendam symptomata gastrica conferunt, lingua crustis flavis tecta, sapor amarus, acidus, appetitus plane prostratus, dolor hepatis, qui tactu vehementer augetur, alvus inflata, modo soluta modo obstructa, symptomata icterica, vomitus atque urina contemplanda sunt. Nihilominus negari non potest, diagnosin horum morborum difficillimam esse et in quibusdam aegrotis nunquam satis accurate constitui posse. Hae inflammationes igitur semper maxima cum attentione observandae sunt, si quidem facile ex iis hydrocephalus sympathicus exoritur.

Facillime vero his ex morbis status ille nasci potest, qui germanice *fraisen*, eclampsia, nominatur, cujus natura obscura est et haud dubie in illo momento cernitur.

Sed maximis difficultatibus diagnosis inter febrem intermittentem larvatam, perniciosam, sive soporosam et hydrocephalum acutissimum obnoxia est, quia nonnunquam remissiones sunt observatae, et quia haec febris primo statim paroxysmo

aegrotum occidere potest. Ibi character febris plerumque epidemicus, situs loci regioque, in qua febres minori majorive vehementia grassantur, praecipue ejus intermissiones, quae saepe exiguae, plerumque tamen magis perspicuae et frequentiores sunt, quam hydrocephali remissiones, sedimentum urinae proprium, horroris impetus, qui quidem saepe tam mitis est, ut facile negligatur, sudores, qui eum sequuntur odoremque habent acidum, tumores lienis, sapor amarus, lingua crustis flavis tecta, vomitus, qui mutato in lectulo situ non augetur, pulsus frequens, parvus, et haemorrhagiae, quae ibi frequentiores fiunt, quam in hydrocephalo, utrumque morbum distinguunt. Praeterea medicum quoque illud diagnosium verum docere potest, quod infantes rarissime illa febri afficiuntur, hydrocephalus vero nostris temporibus creberrime existit.

Infantum eclampsia et hydrocephalus acutissimus non multum inter se differunt et tantum eo discrepare videntur, quod in eclampsia symptomata nervosa jam a morbi exordio adsunt, et ejus impetus plerumque sine damno praetereunt; ita ut infantes insultu superato brevi ad sanitatem redeant. Attamen horum morborum limites tam difficulter constituuntur, ut hydrocephalus acutissimus facillime ejus formam imitari possit.

ÆTIOLOGIA

Causae, quae hydrocephalum provocare possunt, variae ac multiplices sunt, quare mihi ordo quidam observandus est. Primum igitur perlustrabo, quae in ipso organismo sitae sunt.

1. Ætas infantilis ipsa, qua cerebrum maxime crescit et facile congestiones ad caput oriuntur, hic est consideranda. Haec dispositio plerumque locum inter annum primum atque octavum habet, quo spatio non solum infantes, quibus magnus animi vigor atque ingenium pro teneris annis maxime excultum est, quique quasi sanitatis imaginem offerunt, afficiuntur, sed etiam, qui scrofulis, atrophia, rhachitide, struma laborant. Hostis vero insidiosissimus est dentitio, qua semper congestiones ad caput excitantur, quae exiguis causis nocentibus tam vehementes fiunt, ut hunc morbum facile provocent.

Vermes quoque intestinales praecipue ascarides et lumbrici, saepe huic morbo ansam praebent, quocirca helminthiasis et dentitio maximi momenti sunt, quia initio hydrocephalus saepe sub eorum forma prodit, ac facile pro una alterave habetur. Non minori jure exanthemata tum acuta, febrilia, quam chronica sunt accusanda, nam in scarlatina morbillisque, in quibus facillime apoplexia hydrocephalica oritur, in erysipelate, variolis et urticaria febrili, si vehementiores sunt, aut methodo curandi perversa praemature supprimun-

tur aut nimis irritantur, cerebri membranae saepe afficiuntur. Favus, achores, crusta lactea et cet. si incaute et repente a cute depelluntur, eodem modo hydrocephalum acutum efficere possunt. Febres etiam vehementes epidemicae hujus morbi causam continere possunt. Motus, perturbationes animi, praecipue timor, terror atque ira magnam in hoc morbo procreando vim exercecent, atque ipse fetus ex matris affectibus hydrocephalum acutum adipiscere potest. In tussi convulsiva magnis molimimibus et cerebri commotione hunc morbum oriri, vero non absimile est. Morbi quoque viscerum abdominis inflammatorii v. g hepatis, inflammatio organorum systematis uropoëtici, enteritis, sicut induratio glandularum mesenterii, urinae retentio, hydrocephalum excitare valent. Herpetes, scabies, ulcera cutanea, praecipue pedum incaute suppressa, haud parum valent ad eundem morbum excitandum sicut evacuationes salutares repente inhibitae v. g. profluvia, diarrhoea critica, otorrhoea et dysenteria. In pertinaci quoque alvi obstructione nostri morbi principium saepe cernitur, nam molimimibus vehementibus ad evacuandas faeces, ad urinam reddendam, congestiones ad caput gignuntur, ex quibus hydrocephalus oriri potest. Hydrothorax non minus et hydrops universalis morbum hunc procreare dicitur, quia his affectionibus sanguinis circulatio turbatur praecipue in venis atque vasis lymphaticis, quae ob structuram facilius comprimi possunt, dum arteriae situ suo a compressio-

ne tutae sunt. Faciei et partium vicinarum inflammationes partim ex congestione aucta partim quia facile ad cerebri membranas serpunt, sicuti tumores in hujus regionibus refluxum sanguinis venosi ex capite cohibentes, non minus saepe eidem morbo ansam praebent.

Tali modo sanguinis circulatio, quaque ratione, v. gr. tuberculis in pulmonibus turbata, non raro hydrocephali originem sistit. Item vehementiori vomitu hic morbus excitari potest. Ipse hydrocephalus chronicus, si causis nocentibus recrudescit, morbo nostro favere dicitur.

2. Causae, quae foris organismum invadunt. Capitis vulnera, contusiones omnesque ejus laesiones externae hydrocephalum acutum saepius acutissimum ciere possunt. Praeterea educatio ea multum est accusanda, quae ictibus ad caput applicatis, sive manibus sive baculis infantes castigat. Quamquam hae causae non semper hydrocephalum statim provocent, tamen pluribus diebus, hebdomadibus, mensibus imo aliquod annis elapsis oriri potest, atque initio tam leviter irrepere, ut a medico vel sagacissimo vix cognoscatur. In partu quoque caput facile offenditur, qua de re hydrocephalus paulo post oriri potest; sed sicuti hae laesiones, ita etiam neonatorum capitis refrigerationes accusandae sunt, nam caput eorum nudum ex medio calore saepe incaute aëri atmosphaerico aspero exponitur. Eadem ratione morbus ex capillis brevius abscissis originem trahit, quare credibile est, ubi mos ille perniciosus maxime vi-

geat, ibi multos parvulos hac ex causa parentibus hydrocephalo eripi. Si infantes arctioribus involvuntur fasciis, aut si vestes induunt strictas, congestio oriri debet cephalica, cujus effectus rerebri inflammatio esse potest. Fasciae collares strictae etiam in adultis morbum hunc efficere possunt. Omnia remedia vehementer excitantia, praecipue opium, quae saepissime infantibus a nutricibus, ut eis somnum concilient, praebentur, cautissime in infantum morbis adhibeantur; nutrimenta quoque excitantia eundem effectum habent. Adulti etiam frequentiori ebrietate hunc morbum sibi inferre possunt. Si teneri infantes maturius ad discendum atque ad magnos animi labores impelluntur, ad hydrocephalum acutum facile propensi fiunt.

Sed attentione majori vis solis ardentis in caput infantum nudum respicienda esse videtur, qua ex causa hydrocephalus acutissimus oriri haud raro cernitur. Omnes impressiones subitae sensuum alliorum hunc morbum facile procreant, praecipue si morbi dispositio in tenero quodam infante adest. In puero scrofuloso hydrocephalus ex fragranti florum odore ortus notatus fuit: ita et observatum est sonitum vehementem atque inexspectatum, v. gr. ex tormentis bellicis, et lucem splendidam neonatos in morbum injicere posse.

PROGNOSIS.

Hydrocephalus acutus plerumque tristem habet exitum, quia organon corporis humani nobilissimum affectum est. Fere omnes medici maximum hujus morbi periculum agnoverunt, et scriptores pauca tantum exempla enumerant, in quibus aegroti sanati sint. — Plerumque hydrocephalus sanari potest, si medicus peritus in stadio primo morbum audacter apteque adgreditur. Quum autem medicus hoc in stadio raro accessatur, quia signa primitiva tam exigua sunt, ut a parentibus sentimentur, quum justum tempus, quo ille aegrotis auxilium ferre potuit, elapsum sit, vel optima remedia incassum solent adhiberi.

Hydrocephalus acutissimus, in quo omnia signa jam antea commemorata summa cum vehementia decurrunt, quique hanc ob rem parentes cogit, statim auxilium quaerant, sanari potest, si debito tempore atque tractamine vigoroso eum adgredimur; si vero tempus idoneum elapsum est, si auxilium per nonnullas horas, imo tantum per aliqua momenta neglectum, si exsudatio jam peracta est, aegrotum nunquam sanatum vidi, mors plerumque eodem aut subsequenti die accedit, quia natura tam vehementi concussioni diutius resistere non valet. Ipse hydrocephalus acutus semper admodum dubiam prognosin admittit ob morbi fraudolentiam diagnoseosque difficultatem. Ob hunc errorem ae-

groti fere semper morti succumbunt, quae modo post aliquot hebdomades irruit, prout constitutio aut firma aut debilis, morbus aut vehementior aut mitior fuit.

Ineunte exsudatione aegroti saepissime sanari possent, si medici sine metu semper remedia apta adhiberent; multi tamen affirmant se hujus stadii initio multos aegrotos morti quidem eripuisse, fluidum vero jam exsudatum, nervos praecipue visus auditusque premens, alios provocasse morbos v. gr. strabismum, cataractas, surditatem, stupiditatem. Bonum igitur exitum sperare possumus, si praecipue in stadio secundo, methodo curandi apta regulares crises per sudores et urinam apparent, si febris morbique symptomata imminuuntur, si pulsus regulares fiunt, alvus obstructa rite aperitur, urina paulo antea exigua et retenta nunc frequentior fluit, somnus tranquillus, respiratio regularis, si oculi fiunt clariores lucemque non fugiunt. Si haec bona signa adsunt, aegrotus a morte quidem tutus, tamen in convalescentia maxima cum diligentia tractandus est, quia exiguis rebus nocentibus novus impetus provocari potest, qui plerumque funestum exitum habet. Praecipue tamen cavendum est ne remissionibus decipiamur, in quibus infantes tranquilli hilaresque fiunt, sereno loquuntur animo, mentisque compotes sunt. Contra pessimi ominis signa sunt habitus jam antea descriptus peculiaris, deliria blanda, convulsiones vehementes, stupor, extremitatum frigus, status oculorum sin-

gularis, pupilla eximie dilatata, faciei pallor, pulsus irregularis, frequens, tenuis, manibus vix obvius, sudores profusi totius corporis aut cujusdam partis, singultus, meteorismus, symptomata paralytica.

Hydrocephalus chronicus, si quo incitamento acutam formam acceperat, prognosim semper pessimam exhibet.

Causae remotae non parum valent ad prognosim augurandam, nam hydrocephalus acutus ex causis externis v. gr. ex quadam mediocri violentia ortus meliorem promittit exitum, quam qui ex causis internis v. gr. ex cachexia aut ex morbis cutaneis e cute depulsis originem trahit, attamen pessima est si cranium vehementissime laesum est. Hydrocephali complicationes cum scarlatina, morbillis variolisque malignae sunt, nam saepissime sub horum morborum specie ille tam leniter ingreditur, ut a medico non semper agnoscatur, aut ob complicationes remedia justa adhiberi non possint. Ex iisdem causis complicatio cum febri nervosa pessima est. Febris verminosa cum hydrocephalo conjuncta meliorem prognosim admittit, quia vermes intestinales, qui morbi causam sustinent, remedio, quod fere semper in hydrocephalo adhibetur, amoveri possunt. Si in tussi convulsiva e magnis oritur contentionibus, semper fere exitum funestum habet, quia haec nullo remedio tam celeriter sanari potest.

Aegrotorum aetas magnam exserit vim in morbi prognosin, nam infantes ob cerebri molli-

tium et evolutionem auctam facilius vehementiusque hoc morbo efficiuntur, quam aetate provectiores. Hydrocephalus acutissimus neglectus et sibi derelictus semper exitum funestum sortitur, aegrotique, qui sine remediis ex eo restituti esse dicebantur, haud dubie alio morbo nostro simillimo affecti erant.

SECTIO.

Cadavera hydrocephalo acuto defunctorum serum diversae indolis inter velamenta cerebri cutanea effusum, maximam vero ejusdem copiam, quinque ad octo uncias aequantem in ventriculis, eam ob causam extentis et tenuioribus collectam ostendunt. Vasa velamentorum turgida, substantia medullaris mollior et friabilis.

THERAPIA.

1. *Indicatio prophylactica et causalis.*

Infantes, quibus dispositio hereditaria ad hydrocephalum inest, quam maxime curatione prophylactica egent, cum morbo exculto artis auxilium fere irritum reddatur. Medicus, cui tales infantes curandi traduntur, omnia, quae congestiones sanguinis ad caput excitare possunt, plane amovest, instituta vero diaeta cauta et metodo omnes secretiones pellente adhibita, humorum affluxum a capite derivet necesse est.

Infantes igitur tales omni modo a refrigeratione tuendi, alimenta dyspepta et faeces solidas facientia vitanda sunt; in obstructione decocto sennae, manna tamarindisque utendum; mitrarum crassiorum nimisque calidarum usus noxius est, nec infantes fasciis constringi, nec haustis somniferis ad somnum invitare oportet. Certum quoque erit lotionibus frigidis vel maxime in omnibus corporis partibus, capite excepto, factis congestiones ex cerebro ad alias partes minus nobiles derivari, sicque intensam harum partium vitam, vitam cerebralem, et inde dispositionem in morbum imminui; et quum lotionibus, frigidis cutis quoque minus sensibilis contra morbosam perfrigerii actionem reddatur, diminuitur campus dispositionis pro recipiendo hocce gravissimo morbo in infantibus.

2. *Indicatio morbi.*

Stadium primum. Inflammatio tollenda est et sanguis a cerebro derivandus est. Primo igitur providendum est ut conclave obscuratum frigidumque sit, aegroti tegumenta levia, ne sudorem excitent. Caput sublimius collocandum, quam reliquum corpus; diaeta aegroto praescribenda frigida sit, simplex jusculum ex aqua cum saccharo, potus aquosus ex avena et hordeo paratus postea pomum coctum porrigatur; omnes res nocentes ab aegroto removeantur. Si morbus adhuc in primo stadio supra descripto versatur atque

omnia hydrocephali signa magis magisque se ostendunt statim hirudines pro constitutione et aetate aegroti ac morbi vehementia fronti imponantur, et caretur ut hirudinum vulnera per aliquod tempus sanguinem emittant. Infantibus aetate provectioribus venaesectio parca adhibenda est. Calomel laudatur cum magnesia carbonica; ad alvum solvendam clysmata eum successu adhibentur; sicuti sinapismi ad suras aut femora positi bonum quam saepe fructum attulerunt. Denique aqua frigida, aut glacies capiti imposita haud spernenda certe remedia: omnia vero haec in hydrocephali acuti cura adhibenda celerrime, et majori dosi aegroto praebenda sunt.

Experimenta et observationes cl. prof. Steer majorem utilitatem referunt latam si et hirudinum et glaciei adplicatio non ad caput fiebat immediate, verum ad loca remota, saniora et torpentia, praecipue si cum principaliter affecto amice nectantur; sic hirudines ad nares, infra aures vel spinam vertebralem augentes utilitatis ex rivulsione derivantis plus tulerunt ac ad frontem adplicatae, in qua vulnera hirudinum morsus novas morbi causae formabantur, atque fomenta frigida plus utilitatis tulerunt ad abdomen vel ad pedes adplicata, ut generalis illorum agendi ratio adamussim probat.

Stadium secundum. Si exsudationis signa prostant omnia medicamenta fere inutilia sunt.

Crediderant quidem nonnulli vehementibus irritamentis vitam servare posse; teste Goelis

vero omnia haec mortem potius accelerant. Optima sunt remedia, quae resorptionem serosi extravasati inducant. Continuatus igitur calomelanos usus, additis superfusionibus frigidis, cum herba digitalis purpureae propter vim in organa uropoëtica et circulationis cum fructu porrigitur. Vesicatoria etiam eximiae magnitudinis occipiti tonso imposita laudantur.

Simili modo curatio in *stadio tertio* instituenda est.

In convalescentia diaeta praecipue ad normam certam conformetur oportet, et infantes morti erepti, non solum per convalescentiam, sed etiam per totam juventutem maxima cura observentur, et arceantur omnia, quibus latens fortasse morbi fomes denuo flammas concipiat.

THESES DEFENDENDAE

I.

Damna ex Veneris abusu prodeuntia non procedunt praecipue ex humorum nobilium jactura.

II.

Hydrocephalus acutissimus, si tempestive et audaci methodo curandi eum adgredimur, sanari potest.

III.

Balnea frigida, in adfectionibus rheumaticis et catarrhalibus a frigoris actione derivantibus utilia reperta, homoeopathice non agunt.

IV.

In medela morborum melius est uti paucis remediis.

V.

In meningitide gravissima ex erysipelate faciei transmutata epithemata frigida ad caput optime conveniunt.

VI.

Profluvia et retentiones saepissime ex eadem causa.

VII.

Infantum morbi facilius sanantur quam cognoscantur.